



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 37. Aimardi Abbatis Cluniacensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.

§. XXXVII.

A. C. 975.Aimardi Abbatis Cluniacensis Obitus.

Sub turbida isthæc Ecclesiæ Romanæ tempora S. Majolus Abbas Cluniacensis Dignitatem Papalem, quam ut susceperet Otto II. Imperator & Adelheidis Imperatrix vehementer hortabantur, a se amolitus refertur. Superius memoravimus, Aimardum tertium Abbatem Cluniacensem caligantibus oculis Majolum sibi Adjutorem adlegisse, eumque propria Dignitate non abdicata fratribus Abbatem præfecisse. Haud diu postea Aimardus in cella infirmorum, ut privatus monachus, degens, quadam die misso, qui sibi ministrabat, caseum petiit. Cellerarius aliis rebus intentus negavit dare quod rogabatur, adjectis asperis verbis; quem denique labori suffecturum, si in uno monasterio pluribus Abbatibus & pluribus Dominis serviendum foret? Acriter pupugit Aimardi animum tantus contemptus; quare altero die mane ad Capitulum deduci se jubet, dicitque Majolo: *Frater mi! non ideo ego te supra me ipsum exexi, ut me sperneres, sed ut infirmitatem meam sublevares. Nonne monachus meus es?* Respondit Majolus: *Sum monachus tuus sicut semper ita & nunc obedientissimus. Si ita est, reposuit Aimardus, relinque Cathedram tuam,*

tuam, & descende ad locum inter fratres, in quo antea stabas. Illico obediit Majolus, & surgens rediit ad locum pristinum, quem olim privatus tenuerat. Tunc vero Aimardus in Abbatiali Cathedra sedens Cellerarium evocat, eique, cum se in terram prostravisset, acerbe objurgato pœnitentiam, ut videbatur, injungit. Mox relictam Sedem Majolum denuo occupare jubet, qui iterum morem gessit. Ex hoc factò Aimardi, qui vir simplex habebatur, vigor, & Majoli humilis obedientia elucent. Aimardus anno nonagesimo sexagesimo quinto mortem oppetiisse creditur.

§. XXXVIII.

S. Majolus Abbas.

Majolus Aimardo defuncto solus Abbatia Cluniacensi annis prope triginta præfuit. Sacri libri unice ei in deliciis erant, quos iter faciens aut etiam equitans raro e manibus dimittebat. Philosophos tamen & Scriptores profanos non abjiciebat, sed colligebat, quæ utilia videbantur. In cognitione Disciplina monasticæ Canonum & Legum Majolo nemo perspicacior fuit. Doctrinæ solidæ magnam eloquentiæ vim jungebat, unde de morum emendatione sæpe sermonem faciens, auditorum animos movebat & delectabat. Cum ipse semper

Virgi-

Sæculum X.
A.C. 975.

vit. per Syr. lib. III. c. 3.